



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Votis Monasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

debet improbare illos impios cultus excogitatos contra mandatum Dei, ad obscurandam gloriam Christi, & iustitiam fidei.

Hæc de Missa breuiter diximus, vt omnes boni vbiq; gentium intelligere queant, nos summo studio dignitatem Missæ tueri, & verum vsum ostendere, & iustissimas habere causas, quare ab aduersarijs dissentimus. Ac volumus admonitos esse omnes bonos viros, ne adiuuent aduersarios defendentes prophanationem Missæ, ne grauent se societate alieni peccati. Magna causa, magna res est, nec inferior illo negotio Eliæ Prophetæ, qui cultum Baal improbat. Nos modestissimè causam tantam proposuimus, & nunc sine contumelia respondimus. Quod si commouerint nos aduersarij, vt omnia genera abusuum Missæ colligamus, non tam clementer erit agenda causa.

DE VOTIS MONASTICIS.

APVD nos in oppido Thuringiæ Isenaco Franciscanus quidam fuit ante annos triginta, Iohannes Hilten, qui à suo sodalicio coniectus in carcerem, propterea, quòd quosdam notissimos abusus reprehenderat. Vidimus enim eius scripta, ex quibus satis intelligi potest, quale fuerit ipsius doctrinæ genus. Et qui nòrunt eum, testantur fuisse seuerum placidum, & sine morosità grauem. Is multa prædicationes quæ partim euenerunt hætenus, partim iam videntur impendere, quæ non volumus recitare, ne quis interpretetur ea aut odio cuiusquam, aut in gratiam alicuius narrari. Sed postremò, cum vel propter ætatem vel propter squalorem carceris in morbum incidisset, accersuit ad se Guardianum, vt suam valetudinem illi indicaret, cumq; Guardianus accensus odio Pharisæo

co duriter obiurgare hominem propter doctrinae genus, quod videbatur officere culinæ, cœpisset, tum iste omiſſa iam mentione valetudinis ingemiscens inquit: se has iniurias æquo animo propter Christum tolerare, cùm quidem nihil scripſiſſet aut docuiſſet, quod labefactare ſtatum Monachorum poſſet, tantùm notos quosdam abusus reprehendiſſet. Sed alius quidam, inquit, veniet anno Domini M. D. XVI. qui deſtruet vos, nec poteritis ei reſiſtere. Hanc ipſam ſententiam de inclinatione regni Monachorum, & hunc annorum numerum poſtea etiam reperiunt eius amici perſcripturæ ab ipſo in commentarijs ſuis, inter annotationes, quas reliquerat in certos locos Danielis. Quanquam autem, quantum huic voci tribuendum ſit, euentus docebit, tamen extant alia ſigna, quæ minantur mutationem regno Monachorum, non minùs certa, quàm oracula. Conſtat enim, quantum ſit in Monasterijs hypochriſis, ambitionis, avaritiæ, quanta inſcitia, & indoctiſſimi cuiuſq; ſæuitia, quanta vanitas in concionibus, in excogitandis ſubinde nouis aucupijs pecuniæ. Et ſunt alia vitia, quæ non libet commemorare. Cumque fuerint olim Scholæ doctrinae Chriſtianae, nunc degenerauerunt velut ab aureo genere in ferreum, ſeu vt cubus Platonius in malas harmonias degenerat, quas Plato ait exitium aſſerre. Locupletiſſima quæq; Monasteria tantùm alunt otioſam turbam, quæ ibi falſo prætextu religionis helluatur de publicis elemoſynis Eccleſiæ. Chriſtus autem admonet de ſale inſipido, quod ſoleat effundi & conculcari. Quare ipſi ſibi Monachi his moribus fata canunt. Et accedit nunc aliud ſignũ, quòd paſſim autores ſunt interficiendorum bonorũ virorũ. Has cædes Deus haud dubiè breui vliſcetur. Neq; verò accuſamus omnes, Arbitramur enim paſſim aliquos viros bonos in Monasterijs eſſe, qui de humanis cultibus & factitijs, vt quidam ſcripto-

res vocant, moderatè sentiunt, nec probant scru-
quam exercent hypocritæ apud ipsos.

Sed de genere doctrinæ disputamus, quod nunc de-
fendunt Architecti confutationis, non utrùm vota de-
uanda sint. Sentimus enim, licita vota seruari debent
sed utrùm cultus illi mereantur remissionem peccato-
rum & iustificationem, Utrùm sint satisfactiones pro
peccatis, Utrùm sint pares Baptismo, Utrùm sint ob-
seruatio præceptorum & consiliorum, Utrùm sint pe-
fectio Evangelica, Utrùm habeant merita superer-
gationis, Utrùm merita illa applicata alijs saluent eos
Utrùm sint licita vota his opinionibus facta, Utrùm
licita sint vota, quæ prætextu religionis tantùm veniunt
& otij causa suscepta sunt. Utrùm verè sint vota, quæ
sunt extorta aut inuitis, aut his, qui per ætatem non
dam iudicare poterant de genere vitæ, quos parentes
aut amici intruserunt in Monasteria, vt de publico ab-
rentur, sine patrimonij priuati iactura. Utrùm licita
sint vota, quæ palàm vergunt ad malum exitum, vt
quia propter imbecillitatem non seruantur, vel quia
hi, qui sunt in illis sodalitijs, coguntur abusus Missæ
impios cultus sanctorum, consilia scruendi in bonum
viros, approbare & adiuuare. De his quæstionibus dispu-
tamus. Et cum nos in confessione plerumque diximus
eiusmodi votis, quæ etiam Canones Pontificum non
probant, tamen aduersarij iubent omnia, quæ pro-
ximus, reijcere. His enim verbis vsi sunt. Ac operæ pri-
cium est audire, quomodo cauillentur nostras ratio-
nes, & quid afferant ad muniendam suam causam. Id
breuiter percurramus pauca quædam argumenta ad-
stra, & diluemus in his obiter cauillationes aduersari-
um. Cum autem hæc tota causa diligenter & copiose
à Luthero tractata sit, in libro, cui titulum fecit, De
votis Monasticis, volumus hîc librum illum prosep-
tito habere.

Primum hoc certissimum est, non esse licitum votum, quo sentit is, qui vouet, se mereri remissionem peccatorum coram Deo, aut satisfacere pro peccatis coram Deo. Nam hæc opinio est manifesta contumelia Euangelij, quod docet, nobis gratis donari remissionem peccatorum propter Christum, vt supra copiose dictum est. Rectè igitur citauimus Pauli locum ad Galatas: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Qui quærunt remissionem peccatorum, non fide in Christum, sed operibus Monasticis, detrahunt de honore Christi, & iterum crucifigunt Christum. Audire autem, audite, quomodo hinc elaboratur Architecti confutationis. Pauli locum tantum de lege Moyfi exponunt, & addunt, Monachos omnia propter Christum obseruare, & conari propius secundum Euangelium viuere, vt mereantur vitam æternam. Et addunt horribilem epilogum, his verbis: Quare impia sunt, quæ hinc contra Monasticen allegantur. O CHRISTE, quamdiu feres has contumelias, quibus Euangelium tuum afficiunt hostes nostri? Diximus in confessione, remissionem peccatorum gratis accipi, propter Christum per fidem. Si hæc non est ipsa Euangelij vox, si non est sententia Patris æterni, quam tu, qui es in sinu Patris, reuelasti mundo, iure plectimur. Sed tua mors testis est, tua resurrectio testis est, Spiritus sanctus testis est, tota Ecclesia tua testis est, verè hanc esse Euangelij sententiam, quæ consequamur remissionem peccatorum, non propter nostra merita, sed propter te, per fidem. Paulus cum negat, homines lege Moyfi mereri remissionem peccatorum, multò magis detrahit hanc laudem traditionibus humanis, Idq; aperte ad Colossenses testatur. Si lex Moyfi, quæ erat diuinitus reuelata, non merebatur remissionem peccatorum, quantò minus istæ fatuæ obseruationes, abhorrentes à ciuili consuetudine vitæ, merentur remissionem

S i

pecca-

peccatorum. Aduersarij fingunt, Paulum abolere legem Moysi, & Christum ita succedere, vt non grauetur donet remissionem peccatorum, Sed propter opera aliarum legum, si quæ nunc excogitentur. Hac impudens & fanatica imaginatione obruunt beneficium Christi. Deinde fingunt inter hos, qui obseruant illam legem Christi Monachos ppius obseruare, quam alios, propter hypocrisin paupertatis, obedientiæ, & castitatis, cum quidem omnia sint plena simulationis. Paupertatem iactant in summa copia rerum omnium, obedientiam iactant, cum nullum genus hominum libertatem habeat maiorem, quam Monachi. De coelibatu non libet dicere, qui quam purus sit in plerisque, qui studet continere, Gerson indicat. Et quotusquisque continet? Scilicet hac simulatione propius secundum Euangelium viuunt Monachi. Christus non ita succedit Moysi, vt propter nostra opera remittat peccata, sed vt sua merita, suam propiciationem opponat pro nobis, vt gratis nobis ignoscatur. Qui vero præter Christi propiciationem propria merita opponit Deo, & propter propria merita consequi remissionem peccatorum conatur, siue afferat opera legis Moysi, siue Decalogi, siue Regulæ Benedicti, siue regulæ Augustini, siue aliarum Regularum: is abolet promissionem Christi, abiecit Christum, & excidit gratia. Haec est Pauli sententia. Vide autem, Carole Caesar Imperator clementissime, videte Principes, videte omnes & ceteros, quanta sit impudentia aduersariorum, cum Pauli locum in hanc sententiam citauerimus, ipsi ascripserunt: Impia sunt, quæ hinc contra Monasticam allegantur. Quid est autem certius, quam quod remissionem peccatorum consequuntur homines fide, propter Christum? Et hanc sententiam audent isti nebulones impiam vocare. Nihil dubitamus, quin si admoniti fuerint de hoc loco, eximi è confutatione tantam blasphemiam

ma
sit, u
con
hoc
tioc
pec
mia
tur
Fur
Dei
Ch
qua
S
mer
fanc
har
pte
doc
per
æte
ait
dib
nas
uat
re,
con
tan
fide
bis
sti
cun
cat
fint
con
De

miam curassetis. Cùm autem suprà copiosè ostensum sit, impiam opinionem esse, quòd propter opera nostra consequamur remissionem peccatorum, breuiore in hoc loco erimus. Facile enim inde prudens lector ratiocinari poterit, quòd non mereamur remissionem peccatorum per opera Monastica, Itaq; & illa blasphemia nullo modo ferenda est, quæ apud Thomam legitur, professionem Monasticam parem esse Baptismo. Furor est, humanam traditionem, quæ neq; mandatum Dei, neque promissionem habet, æquare ordinationi Christi, quæ habet & mandatum & promissionem Dei, quæ continet pactum gratiæ, & vitæ æternæ.

Secundò. Obedientia, paupertas, & cœlibatus, si tamen non sit impurus, exercitia sunt ἀσκήσεις. Ideoq; sancti uti eis sine impietate possunt, sicut vsi sunt Bernardus, Franciscus, & alij sancti viri. Et hi vsi sunt propter utilitatem corporalem, ut expeditiores essent ad docendum, & ad alia pia officia, non quòd opera ipsa per se sint cultus, qui iustificent, aut mereantur vitam æternam. Deniq; sunt ex illo genere, de quo Paulus ait: Corporalis exercitatio parumper utilis est. Et credibile est, alicubi nunc quoq; esse bonos viros in Monasterijs, qui seruiunt ministerio verbi, qui illis observationibus sine impijs opinionibus vtuntur. At sentire, quòd illæ observationes sint cultus, propter quos coram Deo iusti reputentur, & per quos mereantur vitam æternam, hoc pugnat cum Euangelio de iustitia fidei, quod docet, quòd propter Christum donetur nobis iustitia, & vita æterna. Pugnat & cum dicto Christi: Frustra colunt me mandatis hominum. Pugnat & cum hac sententia: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quomodo autem possunt affirmare, quòd sint cultus, quos Deus approbet, tanquam iustitiam coram ipso, cùm nullum habeant testimonium verbi Dei?

Sed videte impudentiam aduersariorum. Non solum docent, quod obseruationes illæ sint cultus iustificantes, sed addunt, perfectiores esse cultus, hoc est, merentes remissionem peccatorum & iustificationem quam sint alia vitæ genera. Et hic concurrunt multæ falsæ ac perniciosæ opiniones, fingunt se seruare præcepta & consilia. Postea homines liberales, cum inueniant, se habere merita superrogationis, vendunt hæc alijs. Hæc omnia plena sunt Pharisaicæ vanitatis. Extrema enim impietas est sentire, quod decalogo non satisfaciunt, vt supersint merita, Cum hæc præcepta omnes sanctos accusent: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Itē. Non concupiscas. Propheta ait: Omnis homo mendax, id est, non rectè de Deo sentiens, non satis timens, non satis credens Deo. Quia falsò gloriantur Monachi, in obseruatione Monastica vitæ præceptis satisfieri, ac plus quàm præcepta fieri.

Deinde falsum & hoc est, quod obseruationes Monasticæ sint opera consiliorum Euangelij. Nam Euangelium non consulit discrimina vestitus, ciborum, adidicationem rerum propriarum. Hæ sunt traditiones humanæ, de quibus omnibus dictum est: Esca non commendat Deo. Quare neque cultus iustificantes sunt, neque perfectio, Imò cum his titulis fucata proponuntur, sunt meræ doctrinæ dæmoniorum. Virginitas venditur, sed his, qui donum habent, vt supra dictum est. Error est autem perniciosissimus, sentire, quod perfectio Evangelica sit in traditionibus humanis. Nam etiam Mahometistarum Monachi gloriari possent, habere perfectionem Euangelicam. Neque est in obseruatione aliorum, quæ dicuntur *ādāpæq*, sed quia magnum Dei est iustitia & vita in cordibus, ideo perfectio est, crescere timorem Dei, fiduciam misericordie promissæ in Christo, & curam obediendi vocationi, sic & Paulus describit perfectionem: transformamur ad

itate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Non
 it, alium subinde cucullum accipimus, aut alios cal-
 ceos, aut alia cingula. Miserabile est, in Ecclesiatales
 Pharisæicas, imò Mahometicàs voces legi atq; audiri,
 videlicet, perfectionem Euangelij, regni Christi, quod
 est vita æterna, in his stultis obseruationibus vestium,
 & similium nugarum collocari.

Nunc audite Afeopagitas nostros, quàm indignam
 sententiam posuerint in confutatione. Sic aiunt: SAC-
 CRIS LITERIS EXPRESSVM est, Monasticam vi-
 tam, debita obseruatione custoditam, quam per grati-
 am Dei quilibet Monastici custodire possunt, mereri
 vitam æternam, & quidem multò auctiorem Christus
 eis promisit, qui reliquerint domum aut fratres, &c.
 Hæc sunt verba aduersariorum, in quibus hoc primùm
 impudentissimè dicitur, quòd sacris literis expressum
 sit, vitam Monasticam mereri vitam æternam. Vbi enim
 loquuntur sacræ literæ de Monastica? Sic agunt cau-
 sam aduersarij, sic citât scripturas nihili homines, cum
 nemo nesciat, Monasticam recens excogitatam esse, ta-
 mē allegant auctoritatem scripturæ, & quidem dicunt,
 hoc suum decretum expressum esse in scripturis. Præ-
 terea contumelia afficiunt Christum, cum dicunt, ho-
 mines per Monasticam mereri vitam æternam. Deus ne
 suæ quidē legi hunc honorem tribuit, quòd mereatur
 vitã æternam, sicut clarè dicit apud Ezech. cap. 20. Ego
 dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non
 viuunt. Primùm hoc certum est, quòd vita Monastica
 non meretur remissionem peccatorum, sed hanc fide
 gratis accipimus, vt supra dictum est. Deinde propter
 Christum, per misericordiam donatur vita æterna his,
 qui fide accipiunt remissionem, nec opponunt meri-
 ta sua iudicio Dei, sicut & Bernardus grauissimè di-
 cit: Necessè est primò omnium credere, quòd remis-
 sionem peccatorum habere non possis, nisi per indül-
 gentiam Dei. Deinde, quòd nihil prorsus habere queas

operis

operis boni, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quòd æternā vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Cætera, quæ in eandem sententiam sequuntur, suprâ recitauimus. Addit autem in fine Bernhardus: Nemo se seducat, quia si bene cogitare voluerit, inueniet procul dubio, quòd nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Cùm autem nec diuinæ legis operibus mereamur remissionem peccatorum aut vitam æternam, sed necesse sit quærere misericordiam promissam in Christo: multò minùs obseruationibus Monasticis, cùm sint meræ traditiones humanæ, tribuendus est hic honor, quòd mereantur remissionem peccatorum, aut vitam æternam. Ita simpliciter obruunt Euangelium de gratuita remissione peccatorum, & de apprehendendo misericordia promissa in Christo, qui docent, Monasticam vitam mereri remissionem peccatorum, aut vitam æternam, & fiduciam debitam Christo, transferunt in illas stultas obseruationes. Pro Christo colunt suos oculos, suas sordes. Cùm autè & ipsi egeant misericordia, impiè faciunt, quòd fingunt merita supererogationis, eaq; alijs vendunt. Breuiùs de his rebus dicimus quia ex his, quæ suprâ de iustificatione, de penitentia de traditionibus humanis diximus, satis constat, votum Monastica non esse precium, propter quod detur remissio peccatorum & vita æterna. Et cùm Christus vocet traditiones cultus inutiles, nullo modo sunt perfectio Evangelica.

Verùm aduersarij videri volunt astutè moderari vrgentem persuasionem de perfectione. Negant Monasticam vitam perfectionem esse, sed dicunt statum esse acquirendæ perfectionis. Bellè dictum est, & meminimus hanc correctionem extare apud Gersonem. Apparet enim, prudentes viros offensos immodicis illis encormijs vitæ Monasticæ, cùm non auderent in totum de

trahere ei laudem perfectionis, addidisse hanc *ἐπαινό-
δωσιν*, quod sit status acquirendæ perfectionis. Hoc si
sequimur, nihilo magis erit Monastica status perfecti-
onis, quàm vita agricolæ, aut fabri. Nam hi quoq; sunt
status acquirendæ perfectionis. Omnes enim homi-
nes in quacunq; vocatione perfectionem expetere de-
bent, hoc est, crescere in timore Dei, in fide, in dilectio-
ne proximi & similibus virtutibus spiritualibus. Ex-
tant in historijs Eremitarum exempla, Antonij & alio-
rum, quæ exæquant genera vitæ. Scribitur Antonio pe-
tenti, vt Deus sibi ostenderet, quantum in hoc vitæ ge-
nere proficeret, quendam in vrbe Alexandria sutorem
monstratum esse per somnium, cui compararetur. Po-
stridie Antonius veniens in urbem, accedit ad sutorem,
exploraturus illius exercitia & dona, collocutus cum
homine, nihil audit, nisi manè eum pro vniuersa ciuita-
te paucis verbis orare, deinde arti suæ operam dare. Hic
intellexit Antonius, non esse iustificationem tribuen-
dam illi vitæ generi, quod susceperat.

Sed aduersarij, et si nunc moderantur laudes de per-
fectione, tamen aliter re ipsa sentiunt. Vendunt enim
merita, & applicant pro alijs hoc prætextu, quod ob-
seruent præcepta & consilia, quare re ipsa sentiunt sibi
superesse merita. Quid est autem arrogare sibi perfe-
ctionem, si hoc non est? Deinde in ipsa confutatione
positum est, quod Monastici contendant propiùs secun-
dum Euangelium viuere. Tribuit igitur perfectionem
traditionibus humanis, si ideo propiùs secundum Eu-
angelium viuunt Monachi, quia non habent proprium,
quia sunt cælibes, quia obediunt Regulæ in vestitu, ci-
bis, & similibus nãgis.

Item, confutatio dicit, Monachos mereri vitam æ-
ternam auctiorem, & allegat Scripturam: Qui relique-
rit domum, &c. scilicet hic quoque perfectionem ar-
rogat factitijs religionibus, Sed hic locus Scripturæ
nihil

nihil facit ad vitam Monasticam, Non enim hoc
 Christus, quod deserere parentes, coniugem, fratres
 opus ideo faciendum, quia mereatur remissionem peccatorum & vitam æternam. Imò maledicta est illa
 desertio. Fit enim cum contumelia Christi, si quis ibi
 deserat parentes, aut coniugem, ut hoc ipso opere
 mereatur remissionem peccatorum & vitam æternam.
 Duplex autem desertio est, quædam fit sine vocatione
 sine mandato Dei, hanc non probat Christus. Nam
 opera à nobis electa, sunt inutiles cultus. Clarius autem
 hinc apparet, Christum non probare hanc fugam, quæ
 loquitur de deserenda vxore, & liberis. Scimus autem
 quod mandatum Dei prohibet deserere vxorem & li-
 beros. Alia desertio est, quæ fit mandato Dei, videlicet
 cum cogit nos potestas aut tyrannis cedere, aut negare
 Euangelium. Hic habemus mandatum, ut potius
 sineamus iniuriam, potius eripi nobis patiamur, non
 solum facultates, coniugem, liberos, sed vitam quoque.
 Hanc desertionem probat Christus, ideoque addit, pro-
 pter Euangelium, ut significet se de his loqui, non
 faciunt iniuriam vxori & liberis, sed qui propter
 confessionem Euangelij sustinent iniuriam. Corpus
 nostrum etiam deserere debemus propter Euangelium.
 Hic ridiculum fuerit sentire, quod cultus Dei sit, ipsum
 occidere & relinquere corpus sine mandato Dei.
 Ita ridiculum est sentire, quod cultus Dei sit, deserere
 possessiones, amicos, coniugem, liberos, sine mandato
 Dei. Constat igitur, malè detorqueri dictum Christi
 ad vitam Monasticam. Nisi fortassis hoc quædam
 quod centuplum in hac vita recipiunt. Plurimi enim
 fiunt Monachi non propter Euangelium, sed propter
 culinam & ocium, qui pro exiguis patrimonijs
 accipiunt amplissimas opes. Sed ut rota res Monachica
 simulationis plena est, ita falso prætextu scriptura
 monia scripturæ citant, ut dupliciter peccent,

est, vt fallant homines, & fallant prætextu nominis diuini.

Citatur & alius locus de perfectione: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Hic locus exercuit multos, qui finxerunt perfectionem esse, possessiones ac dominia rerum abijcere. Sinamus Philosophos Aristippum prædicare, qui magnum auri pondus abiecit in mare. Talia exempla nihil pertinent ad Christianam perfectionem. Rerum diuisio, dominia, & possessio, sunt ordinationes ciuiles, approbatæ verbo Dei, in præcepto: Non furum facies. Desertio facultatum nõ habet mandatum, aut consilium in Scripturis. Nam Euangelica paupertas non est desertio rerum, sed non esse auarum, non confidere opibus, sicut Dauid pauper erat, in ditissimo regno. Quare cum desertio facultatũ sit merè traditio humana, est inutilis cultus. Et immodica sunt illa encomia in extrauagante, quæ ait, abdicationem proprietatis omnium rerum, ppter Deum, meritoriam & sanctam, & viam perfectionis esse. Et periculosissimũ est, rem pugnantem cum ciuili consuetudine, talibus immoderatis laudibus efferre. At Christus hęc perfectionem vocat. Imò iniuriam faciunt textui, qui truncatum allegant. Perfectio est in hoc, quòd addit Christus, sequere me. Exemplũ obedientiæ in vocatione propositum est. Et quia vocationes dissimiles sunt, ita hæc vocatio nõ est omnium, sed propriè ad illam personam, cum qua ibi loquitur Christus, pertinet, sicut vocatio Dauid ad regnum, Abraham ad mactandum filium non sunt nobis imitandæ. Vocationes sunt personales, sicut negocia ipsa variant temporibus & personis, Sed exemplum obedientiæ est generale. Perfectio erat futura illi iuueni, si huic vocationi credidisset & obediisset. Ita perfectio nobis est, obedire vnumquemque vera fide suæ vocationi.

Ter-

Tertiò. In votis Monasticis promittitur castitas. præ autem diximus de coniugio Sacerdotum, non potest le votis aut legibus tolli Ius naturæ in hominibus, quia non omnes habent donum continentia, multi propter imbecillitatem infœliciter continent. Nec verò vlla vota, aut vllæ leges possunt abolere mandatum Spiritus sancti: propter fornicationem vniuersaque habeat vxorem suam. Quare hoc votum non licitum in his, qui non habent donum continentia, propter imbecillitatem contaminantur. De hoc loco satis supra dictum est, in quo profectò mirum est cum versentur ob oculos pericula & scandala, tam aduersarios defendere suas traditiones, contra mandatum Dei præceptum. Nec commouet eos vox Christi qui obiurgat Phariseos, qui traditiones contra mandatum Dei fecerant.

Quartò. Liberant hos, qui viuunt in Monasteriis impij cultus, quales sunt prophanatio Missæ ad quæstum collatæ pro mortuis, cultus sanctorum, in quibus duplex vitium est, & quòd sancti in locum Christi rogantur, & impiè coluntur, sicut finxerunt Dominicæ castri Rosarium B. Virginis, quod est mera superstitio non minùs stulta, quàm impia, vanissimam fiduciam habens. Deinde hæ ipsæ impietates, tantum conferunt ad quæstum. Item, Euangelium de gratuita remissione peccatorum propter Christum, de iustitia fidei, de veritate pœnitentia, de operibus, quæ habent mandatum Dei neq; audiunt, neq; docent. Sed versantur aut in Philosophicis disputationibus, aut in traditionibus ceremoniarum, quæ obscurant Christum. Non hic dicimus de illo toto cultu ceremoniarum, de lectionibus cantu, & similibus rebus, quæ poterant tolerari, si haberentur pro exercitijs, sicut lectiones in Scholis quarum finis est docere audientes, & inter docendum aliquos commouere ad timorem, aut fidem.

Sed nunc fingunt, has ceremonias esse cultus Dei, qui mereantur remissionem peccatorum ipsis & alijs. Ideo enim augent has ceremonias. Quod si susciperent ad docendos & adhortandos auditores, breues & accuratae lectiones plus prodesse, quam illae infinitae *Κατολογίαι*. Ita tota vita Monastica plena est hypocrisis, & falsis opinionibus. Ad haec omnia accedit & hoc periculum, quod qui sunt in illis collegijs, coguntur assentiri persequentibus veritatem. Multae igitur graues & magnae rationes sunt, quae liberant bonos viros ab hoc vitae genere.

Postremo multos liberant ipsi Canones, qui aut illecti artibus Monachorum sine iudicio vouerunt, aut coacti ab amicis vouerunt. Talia vota ne Canones quidem pronunciant esse vota. Ex his omnibus apparet plurimas esse causas, quae docent vota Monastica qualia haecenus facta sunt, non esse vota, quare tuto deseri potest vitae genus plenum hypocrisis & falsarum opinionum.

Hic obijciunt ex lege Nazaræos. Sed hi non suscipiebant vota sua cum his opinionibus, quas haecenus diximus nos reprehendere in votis Monachorum. Nazaræorum ritus erat exercitium, aut protestatio fidei coram hominibus, non merebatur remissionem peccatorum coram Deo, non iustificabat coram Deo. Deinde sicut nunc circumcisio, aut mactatio victimarum non esset cultus, ita nec ritus Nazaræorum nunc debet proponi tanquam cultus, sed debet iudicari simpliciter *ἀδιάφορον*. Non igitur recte confertur Monachatus sine verbo Dei excogitatus, ut sit cultus, qui mereatur remissionem peccatorum & iustificationem, cum ritu Nazaræorum, qui habebat verbum Dei, nec traditus erat in hoc, ut mereretur remissionem peccatorum, sed ut esset exercitium externum, sicut aliae ceremoniae legis. Idem de alijs votis in lege traditis dici potest.

Allegantur & Rechabitæ, qui nec possessiones habebant villas, nec vinum bibebant, vt scribit Ieremias cap. 35. Scilicet pulchrè quadrat exemplum Rechabitarum ad Monachos nostros, quorum Monasteria imperant palatia Regū, qui lautissimè viuunt. Et Rechabitæ in illa omnium rerum penuria, tamen erant eorum iuges. Nostri Monachi, cum affluant omnibus delictis, profitentur cœlibatum. Ceterum exempla iuxta regulam, hoc est, iuxta scripturas certas & claras, non contra regulam, seu contra scripturas interpretari conueniunt. Certissimum est autem, obseruationes nostras non mereri remissionem peccatorum, aut iustificationem. Quare cum laudantur Rechabitæ, necesse est, eos mereri suam non ideo seruasse, quod sentirent, se per eam mereri remissionem peccatorum, aut opus ipsum tantum esse iustificans, aut propter quem conlequeretur vitam æternam, non per misericordiam Dei, propter semen promissum. Sed quia habuerunt mandatum parentum, laudatur obedientia, de qua extat præceptum Dei: Honora patrem & matrem. Deinde mandatum habebat finem proprium, quia peregrini erant, ne Israelitæ, apparet, patrem voluisse eos certis notis discernere à suis popularibus, ne relaberentur ad impunitatem popularium. Volebat his notis eos admonere doctrinæ fidei, & immortalitatis. Talis finis est licet. At fines Monasticæ longè alij traduntur, fingunt opera Monasticæ cultus esse, fingunt ea mereri remissionem peccatorum ac iustificationem. Est igitur simile Monasticæ exemplum Rechabitarum, vt omittimus hic alia incommoda, quæ hærent in præsentia Monastica.

Citant & ex priore ad Timotheum cap. 5. de viduis, quæ seruientes Ecclesiæ,alebantur de publico, ait: Nubere volunt, habentes damnationem, quia per suam fidem irritam fecerunt. Primum hic fingam.

Apostolum de votis loqui, tamen hic locus non patrociniabitur Monasticis votis, quæ fiunt de impijs cultibus, & hac opinione, ut mereantur remissionem peccatorum, & iustificationem. Paulus enim tota voce damnat omnes cultus, omnes leges, omnia opera, si ita obseruentur, ut mereantur remissionem peccatorum, aut ut propter ea consequamur vitam æternam, non propter Christum per misericordiam. Ideo necesse est vota viduarum, si qua fuerunt, dissimilia fuisse votis Monasticis. Præterea, si non desinant aduersarij detorquere locum ad vota, detorquendum erit eodẽ hoc quoque, quod vetat eligi viduam minorẽ annis sexaginta. Ita vota ante eam ætatem facta erunt irrita. Sed nondum norat Ecclesia hæc vota. Itaq; damnat Paulus viduas, nõ quia nubunt, Iubet enim nubere iuniores, sed quia publico sumtu alitæ lasciuebant, ideoq; fidẽ abijciebant. Hoc vocat primam fidem, scilicet, non voti Monastici, sed Christianismi. Et hoc modo fidem accipit in eodem cap. Si quis proprios, & maximẽ domesticos non curat, fidẽ abnegauit. Aliter enim de fide loquitur, quàm Sophistæ. Non tribuit fidẽ his, qui habent peccatum mortale. Ideo dicit hos abijcere fidem, qui non curant propinquos. Et ad eundem modum dicit, mulierculas petulantes fidem abijcere.

Percurramus aliquot nostras rationes, & obiter diluimus ea, quæ aduersarij obijciunt. Et hæc collegimus non solum propter aduersarios, sed multo magis propter piæ mentes, ut habeant in conspectu causas, quare improbare debeant hypocrisin & fictos cultus Monasticos, quos quidem totos hæc vna vox Christi abrogat, cum ait: Frustra colunt me mandatis hominum. Quare vota ipsa, & obseruationes ciborum, lectio- num, cantuum, vestitus, calceorum, cingulorum, inutiles cultus sunt coram Deo. Et certò sciant omnes piæ mentes, simpliciter Pharisaicam & damnatam

opinionem esse, quòd illæ obseruationes mereantur remissionem peccatorum, quòd propter eas iusti putemur, quòd propter eas consequamur vitam æternam, non per misericordiam propter Christum. Necesse est sanctos viros, qui in his vitæ generibus vixerunt, abiecta fiducia talium obseruationum, didicisse quòd remissionem peccatorum propter Christum gratis haberent, quòd propter Christum per Misericordiam consecuturi essent vitam æternam, non propter alios cultus, quòd Deus tantum approbet cultus suo verbo institutos, qui valeant in fide.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Vehementer hinc vociferantur aduersarij de primis legijs & immunitatibus Ecclesiastici status, & addunt Epilogum; Irrita sunt omnia, quæ presenti articulo contra immunitatem Ecclesiarum & Sacerdotum inferuntur, Hæc est mera calumnia, Non enim de rebus alijs in hoc articulo disputauimus. Contra terum sæpè testati sumus, nos politicas ordinationes & donationes Principum & priuilegia non reprehendere. Sed vtinam vicissim audirent aduersarij querela Ecclesiarum & piarum mentium. Dignitates & opus suas fortiter tuentur aduersarij, Interim statum Ecclesiarum negligunt, non curant rectè doceri Ecclesias, & Sacramenta ritè tractari. Ad Sacerdotium admittunt quoslibet sine discrimine, Postea imponunt onera intolerabilia, quasi delectentur exitio aliorum, suas traditiones longè accuratiùs seruari postulant, quàm Euangelium. Nunc in grauissimis & difficilissimis controuersijs, quibus populus miser cupit doceri, vt habeat aliquos certi, quos sequatur, non expediunt mentes, quas dubitatio acerbissimè cruciat, tantum conclamant ad ar-

Præ-